

tracta, seu *imminutus numerus*. Sume enim numerum 20. qui sit λόγος συντετελεσμένος sive *rationis completae*, subtrahantur 12. quod est συντομή τῷ λόγῳ, *numerus* totus jam est ἡ συντετμημένος & *abbreviatus*, ut tandem sponte resultet κατάλειμμα seu *residuum* numeri octonarii: Attendit B. SCHERZERVS hoc schema loco citato, eosque propius a vero abesse scribit, qui plenum Prophetici textus sensum de Judaicarum Reliquiarum conversione hunc in modum faciunt: *Consummationem abbreviatam* (sive *praecisum* צררן per *fractiones quasi numeratam* ceu *Arithmetici solent*, ut *inveniantur fideles ad exiguas minutias redacti Israelitae*) *inundat justitia* (Christi, ad quem sunt *conversi*.) Sufficit nobis, Beatum virum ad *numerum & numerandi rationem* respexisse. Non aliter B. CALOVIVS. Ex Pontificiis concedit ESTIVS in h. l. brevem accisum & exiguum numerum: Salva sic res est, ut non curemus, si qui in *verbo abbreviato*, obscurum per aequae obscurum interpretando elaborent: Sufficit nobis de ἀφαίρεσις seu *subtractione* quadam rationum esse sermonem, ubi numerus sat magnus *ad minorem redigitur*: vel ipsa Esaiæ voce צררן nobis subveniente, quae *abbreviationem numericam* indigitat. conf. *Hob. XIV, 5. Es. XXVIII, 22.* ut non videamus cur GVSSETIVS *tribulam* hic malit verti, nisi quod vel haec *emphasis* nobis serviat, quod Deus *impios a piis*, velut *tribula a straminibus grana excutiuntur, separet*: aut quod, sicut *tribula acuminata* sit, ita etiam numerus *fidelium* semper reddatur paucior, instar *figuræ cuspidatae*, unde etiam de *auro* haec vox usurpatur, utpote *cujus residuum* detractis scoriis & *impuritatibus* eo purius redditur.

XIV.

Cum vero confectum dari debeat, hominum illorum innumeram pene multitudinem non culpa aliqua DEI, sed solum ipsorum hominum ad stupendam *paucitatem redigi*, ad-